DISPUTATIO THEOLOGICA
INAVGVRALIS
DE

Præfixis Materiis,

QVAM

Favente Deo Opt. Max.

Ex auctoritate Magnifici D. Rectoris

D. ANTONII ÆMILII, Historiarum ac Politices Professoris clarissimi, consensu amplissimi Senatus Academici, & decreto venerandæ facultatis Theologicæ

Pro Doctoratu Theologiæ consequendo,

Publicè in inclytâ Acad. Vltrajectinâ sine præside sustinebit

ANDREAS ESSENIUS,

Ad diem 11. *Martii horis locoq; solitis.*

Naturâ & Industria.

TRAJECTI ad RHENUM,
Apud PETRUM DANIELIS SLOOT,
ANNO M. DC. XLV.

Reverendis & Clarissimis Viris,

D. ANTONIO ÆMILIO, Historiarum ac Politices in almâ hac Academiâ Professori disertissimo, & p. t. Rectori magnifico:

D. GISBERTO VOETIO, SS. Theologiæ Doctori & Professori dignissimo, Ecclesiæ hujus Pastori vigilantissimo:

D. M. ARNOLDO SENGVERDIO, Philosophiæ Professori Primario,

Præceptoribus meis æternùm colendis,

Specimen hoc Academicum, gratitudinis symbolum, quo par est animi affectu,

Inscribo & offero

M. ANDREAS ESSENIUS
Verbi Divini Minister.

DISPUTATIO THEOLOGICA
INAVGVRALIS
DE

Præfixis Materiis.

Placuit venerandæ Facultati Theologicæ, pro variis Theologiæ partibus, ter quinque materias mihi disputandas præfigere. De ternis singulas ex more seligo, ac thesibus propono: binas residuas paucis assertionibus, seu corollariis, perstringo. Brevitatem ubique quærere debui, disputandi duntaxat campum exhibiturus.

Ex Theologiâ Dogmaticâ
DE

Statu animæ separatæ.

THESIS I.

FIdes demonstrat ea quę non cernũtur, ~~Rom.~~ Hebr. XI. 1. & speramus quæ non videmus, Rom. VIII. 25. Non temere igitur inquirimus, quæ expectamus post hanc vitam revelanda, quoad ejus, duce Spiritu sancto, per SS. Literas fieri potest.

II.

Animæ humanæ immaterialitas, consequenter etiam immortalitas, naturali intellectus lumine perspicua est: & contra atheorum portenta probatur præcipuè ex ipsius operationibus naturam, & conditionem, materiæ superantibus; ut quæ percipiat res spirituales, ac naturas universales, agatque ἐπεκτατικῶς. Atque ipsum hoc in verbo Dei, tum ubique, tum evidenter inprimis proponitur Eccles. XII. 7. Matth. X. 28.

III.

Quemadmodum vero in hac vitâ maximum est piorũ & impiorũ discrimen, idemque à Judice Christo novissimo die manifestũ fiet; sic omnino dissimilis est status animarum, per mortem à corporibus separatarũ, inde ad judicium, Luc. XVI. 22. & seqq. Utræque autem brevissimo temporis spatio illorum in cœlum, horum in infernum deferuntur. Animarum transmutationem, aut in alia corpora transmigrationẽ, ut absurdas, rejicimus. Interim eas minimè sensu & ratione carere ex naturâ animæ rationalis, loco proximè citato & 2 Cor. XII. 2. 3. 4. constat contra Libertinos Psychopannuchian somniantes.

IV.

Animæ piorum cœlesti consolatione & gaudio jam tum fruuntur Domino & capiti suo Christo propius conjunctæ, percipiuntque ἀναψύξιν Esai. LVII. 2. Luc. XXIII. 43. Phil. I. 21. 23. 2 Cor. V. 8. Apoc. XIV. 13. 2 Cor. XII. 4. Beatamque corporum resurrectionem & redunitionem expectant, sic quidem ut millie anni apud Dominũ sint quasi unus dies 2. Petr. 8 III. Apoc. VI. 9. 10. 11. Impiorum vero jam tum pœnis infernalibus

libus torquentur Luc. xvi. 25. Act. i. 25. 1 Petr. iii. 19. 20. horrentque imminentem resurrectione mcondemnationis Johan. v. 19. Dan. xii: 2. cum Iacob. ii. 19.

V.

Minimè igitur fidelium animæ omni operatione destitutæ relabuntur quasi ad potentiam creatoris, à quo in resurrectione restituantur cum πνευματικῷ corporis essentialiter spiritualis; quæ videtur Socinianorum sententia: quamvis alias animam pro toto homine; corpus autem fere pro instrumento tantum habeant, quò tutius scilicet resurrectionem eorundem numero corporum negent. Neque admittendum est Papistarum purgatorium, quod satisfactioni Christi, justitiæ item & misericordiæ divinæ repugnat: nec animarum in terram reditus aut apparitiones, quas iidem fingunt; & quibus purgatorium superstructum est, contra legem Dei, Esai. viii. 20.

VI.

Ignorant autem singula, quæ in terrâ post excessum suum geruntur, 2 Reg. xxii. 20. Esai. lxiii. 16. Job. xiv. 21. Eccles. ix. 5. Propterea sancti demortui invocandi non sunt, ne quidem ut pro nobis intercedant; Matth. iv. 10. Col. ii. 18. Apoc. xix. 10. & xxii. 9. Act. x. 26. cum 1 Johan. ii. 1. 2.

VII.

Neq; est quod pro defunctis intercedamus: de damnatis enim nulla spes supereſt; beati vero precibus nostris neutiquā indigent. Beatam resurrectionē omnium fidelium rectè quidem optamus, & desideramus, firmâ, fide ac spe

Apoc. xxii. 20: pro his tamen aut illis orandum non putamus: cum nullum ejus præceptum aut exemplum in SS. Literis exstet.

VIII.

Ut in iisdem desiderium plenariæ consummationis suæ agnoscimus; sic idem de consummatione totius Ecclesiæ, aut Christi corporis mystici, admittimus: attamen status iste gratiarum actionibus, quam formatis supplicationibus est convenientior.

IX.

Idem fuit status animarum separatarum, tum fidelium, tum infidelium sub V. T. qui est sub N. illi enim eâdem fide, earundem promissionum, in eundem Deum & mediatorem eandem salutem consecuti sunt, Esai. lvii. 2. Hebr. xi. 2. &c. Act. xv. 11. Hi verò ejusdem legis transgressores, ejusdem judicii rei fuerunt. Rejicimus hic limbum patrum.

X.

Idem etiam est status infantium fœderatorum, qui adultorum fidelium, Marc. x. 14. 1 Cor. vii. 14. Rom. xi. 16. Neque est quod limbum iis metuamus, aut carcerem qualemcunque:

Corollaria de Decretis Dei.

1. *Decretum Dei est ipse Deus, consequenter æternum, immutabile, simplex.*

2. *Omnis futuritio est à Decreto Dei, quam in signo rationis, pro nostro concipiendi modo, sequitur scientia visionis, præcedit scientia simplicis intelligentiæ: at media, quam vocant, inane figmentum est divinæ naturæ adversum.*

3. *Ordo*

3. *Ordo decretorum, decreta conditionata, disjunctiva & congrua, quæque similia sunt atheologorum Pelagianissantium commenta, primitate, independentiâ, sufficientiâ & efficientiâ Dei indigna sunt.*

4. *Etiam libera & contingentia subsunt absoluto & necessario decreto Dei, quin eo fundantur.*

5. *Blasphemæ sunt adversariorum consequentiæ, quibus hinc fatum Stoicum introduci, Deumque à nobis peccati auctorem statui, colligunt.*

DE

Satisfactione Christi.

1. *Satisfactione Christi per justitiam & veritatem* Dei *nobis salvandis omnino opus erat.*

2. *Eamque S. Scriptura evidenter satis astruit, cum docet Christum nos ab exitio emisse vel redemisse soluto pretio: peccata nostra abluisse & expiasse oblato sacrificio, atque ita nos reconciliasse Deo: bajulasse & sic sustulisse peccata nostra: passum esse pro peccatoribus: ipsumque sacrificiis V. T. præfiguratum.*

3. *Sociniani Mahumedistis, quam Christianis, magis affines sunt, dum asserunt Christum servatorem, qui novi fœderis mediator & sponsor est (sunt verba Ioh. Crellii contra Grotium cap. 1.) ideo mortuum esse, ut novum istud fœdus, promissaque divina in eo comprehensa, quorum potissimum est remissio peccatorum & vita æterna, confirmaret ac sanciret*

eiret, & sic jus quoddam ad ea obtinenda nobis daret: deinde ut omnes homines acconditiones huic fœderi insertas amplectendas & exequendas adduceret: denique ut hoc pacto misericors pontifex effectus, supremamque in omnia potestatem adeptus, peccata nostra expiaret, ac promissa fœderis, conditiones ejus servantibus, reipsâ præstaret; quibus rebus tota salutis nostræ ratio absolvitur.

4. *Etsi meritum & satisfactio Christi ob inseparabilem nexum sæpe confundantur, atque alterum pro altero, vel etiam utroque usurpetur; accuratioris tamen doctrinæ gratiâ possent ita distingui, ut satisfactio notaret solutionem illorum quæ requirebantur ad liberationem nostram ex statu iræ & condemnationis; spectaretq; justitiam Dei vindicativam: meritum vero id quod factum est ad impetrandum nobis jus vitæ æternæ, spectaretq; justitiam remunerativam: utrumq; fundatur in gratuito fœdere Dei, quod innuitur Esa.* LIII 10. 11. *Coll.* I. 19. 20.

Ex Theologiâ Morâli.

DE

Motibus primò primis.

THESIS I.

Concupiscentia, quatenus sumitur pro naturali facultate, aut actu, appetitus adiaphora est: bona ubi in bona tendit; mala autem quando legi divinæ adversatur. Hujus autem motus primò primi nobis intelliguntur.

II.

Motus primò primi ad peccata, ipsi etiam peccata

sunt

sunt, decimo decalogi præcepto repugnantia. 1. Quia sunt *æquales* 1 Johan. III. 4. cum Matth. XXII. 37. 2. Proveniunt à facultate rationali, neque sunt virtutes Rom. XII. 1. XIV. ult. 3. Sunt dispositio, semen & causa peccati ulterioris Iacob. 1. 14. 4. Fidedeles debent illos fugere, odisse & iis repugnare Gal. v. 16. 5. & sic manifestè traducuntur Rom. VII. 5. 7. 8.

III.

Decimo præcepto non repugnat propriè ejusmodi concupiscentia, quâ quis peccatum externum appetit cum deliberat o consilio & proposito ipsum exequendi: talia enim superioribus præceptis prohibentur; hoc ulterius procedit Rom. VII. 7.

IV.

Pontificii hos motus peccata esse non agnoscunt, aut tantum venialia esse asserunt, pari pietate quâ secundum præceptum corrumpunt decimum discerpunt, atque passim laxos se præbent Casuistas.

V.

Peccarum originale inhærens, seu concupiscentia corrupta originalis verè peccatum est, totique legi divinæ repugnat: prout peccatorum actualium contra singula præcepta fomes est.

VI.

Motus ad peccata, qui in somnis occurrunt etiam verè peccata sunt Levit. XV. 16. 17. 18.

VII.

Ut peccatum originale non omninò tollitur in hac vitâ, sic nemo ab ebullitionibus ejus vitiosis, seu motibus primò primis, immunis est Gal. v. 17.

Corollaria de Sabbatho.

1. *Quartum decalogi præceptum morale est.*
2. *A mundo condito ad Christi mortem observatus fuit septimus dies à creatione.*
3. *A resurrectione Christi servatur primus dies hebdomadæ; qui ob institutionem dominicam, & cultum ejus qui dominus est Sabbathi, dominicus appellatur.*
4. *Sabbathum integrum cultûs divini tum publicis, tum domesticis*

& privatis exercitiis dari debet; non vero operibus nostris quibuscunque excepto casu extraordinario prementis necessitatis, aut ordinario necessariæ charitatis.

5. *In N. T. nulla festa divinitus instituta sunt, neque ab hominibus instituti aut restituti possunt sine libertatis Christiana diminutione & legalium umbrarum restauratione, contra Pontificios.*

6. *Idololatriam quoq; produnt cum sanctis festa instituunt, totumque annum iis distribunt.*

De Cultu Imaginum.

1. *Imagines sacrosanctæ Trinitatis, quas Pontificii varias solent fingere, omnes in Deum blasphema sunt.*

2. *Idololatriam committunt iidem quando imagines Dei, sanctorum, crucis, eodem cultu cum archetypo afficiunt, auro & cimeliis ornant, intensa faciunt, vota nuncupant, peregrinationes ad eas suscipiunt.*

3. *Neque quicquam eos juvant distinctiones idoli & imaginis; itemque* λατρείας, δουλείας & ὑπερδουλείας.

4. *Crassissimè in hac materiâ erravit concilium* II. *Nicenum.*

5. *Neque licet ullas imagines facere aut tolerare pro libris Laicorum.*

6. *Dum vulgus Pontificiorum jactat se imagines tantum habere in commemorationem archetyporum, Papatum abnegat: quod ipsis Doctoribus eorum hodiè per quam familiare.*

Ex Politicâ Ecclesiasticâ

De Excommunicatione.

I.

Excommunicatio est censura ecclesiastica, quâ hæretici aut peccatores gravius scandalum præbentes, irâ Dei ipsis denunciatâ, ab ecclesiasticâ communione arcentur. Hæc non est jurisdictio architectonica & autocratoricâ: ea enim soli regi nostro spirituali Christo competit; sed ministerialem ministris suis concessit, Math. XVIII. 18. cum cap. XVI. 19. Johan. XX. 23. 2. Cor. V. 9, 20.

Judicium

II.

Judicium & sententia ejus est penes Ecclesiam, non autem penes solos rectores Ecclesiæ, nam 1. Ecclesiæ tribuunt omnia loca S. Scripturæ, quæ ejus meminerunt, clarissimè Matth. XVIII 15. 16. 17. 2. Ecclesia est sponsa Christi, cui optimè tribuitur ista potestas. 3. Ecclesia recipit singulos in suam communionem: ergo &c.

III.

Stringenda autem in membra Ecclesiæ, quæ ad hæresin deficiunt Gal. V. 12. 1 Tim. I. 20. Tit. III. 20. Neque id mirum videri debet crepantibus tantoperè libertatem prophetandi: quia hæresis est opus carnis Gal. V. 19. 2. Est peccatum conscientiam vastans Tit. III. 10. & Ecclesiam turbans Gal. III. 1. & V. 12. 3. Rumpit communionem cum Christo, ut quæ fidei tantoperè adversetur.

IV.

Stringenda etiam in peccatores enorme aliquod flagitium committentes, atque ita grave scandalum præbentes; nisi maturâ & dignâ pœnitentiâ præveniant 1 Cor. V. 4. itemque in eos qui non tam grande flagitium committunt, sed aliis peccatis scandalum præbent, iisque pertinaciam addunt, monitionibus & abstentionibus susque deque habitis Matth. XVIII. 17.

V.

Arcentur hac sontes à communione Ecclesiasticâ, usu scil. cœnæ, & familiari conversatione Christianâ, ut cum fratre sano non tamen sic ut arceantur ab auditu verbi, & precibus, conversionis mediis. Pœnæ corporales & mulctæ pecuniariæ nullum hic locum habent.

VI.

Excommunicatio neminem prohibet ab officiis & dignitatibus naturalibus, œconomicis & politicis, contra Pontificios & Anabaptistas.

VII.

Legitimè excommunicati ab ipso Deo è regno cœlorum excluduntur nisi convertantur Matth. XVI. 19. Johan. XX. 23.

VIII.

Finis Excommunicationis est 1. ne fœdus Dei profanetur, aut nomen ipsius propter illos contumeliâ afficiatur Matth. VII. 6. Rom. II. 24. 2. ne contagio ad reliquos pervadat 1 Cor. V. 6. 7. Gal. V. 9. & ira Dei in Ecclesiam concitetur 1 Cor. XI. 30. 32. 3. ut excommunicati pudore victi ad resipiscentiam adducantur 1 Cor. V. 5. 2 Cor. II. 7. 2 Thess. III. 4. 1 Tim. I. 20.

IX.

Quemadmodum abstentio sive suspensio est minor quædam excommunicatio: sic Anathema graviorem quandam notat excommunicationem Gal. I. 8. Rom. IX. 3. Itemque Anathema Maranatha 1 Cor. XVI. 22. quod omni spe abjectâ excommunicatos divino judicio permittit.

X.

Legitimè excommunicati post declaratam resipiscentiam, pro ratione delicti, in communionem Ecclesiasticam iterum admittendi sunt, contra quam voluerunt Novatiani: Deus enim talibus remittit, & nos delinquentibus remittere vult, Matth. VI. 14. 15. & XVIII. 21. & seqq. *Dubium*: An expediat lapsis certa tempora pœnitentiæ præfigere? Resp. Sic quidem factum in primâ Ecclesiæ ætate, ubi 1. πρόκλαυσις: quæ extra Ecclesiam peragenda: 2. ἀκρόασις, quando ad introitum intra Ecclesiam licebat concionem audire: 3. ὑπόπτωσις, quando precibus etiam interesse concedebatur, sed sordidatis & in terram prostratis. 4. σύστασις, quando sacram quoq; communionem spectabant. Singulis actibus annus, aut plures, pro ratione criminis dabatur: ac tandem ad communionem denuò admittebantur. Interdum vero fiebat remissio quædam, unde sequioribus sæculis natæ sunt Papales indulgentiæ: imprimis quando religio cœpit haberi quæstui. Nobis tutius & ad ecclesiæ ædificationē cōvenientius videtur, ut oblatâ occasione, pro ratione personarum, aliarumq; circumstā-

tia-

ciarum prudenter in isto negotio agatur; juxta 2. Cor. 12, 5.6.7.

XI.

Pœnitentes non satisfaciunt Deo pro peccatis suis; sed Ecclesiæ quam offenderunt. Deo enim satisfacere nemo merus homo potest Math. xvi. 26. Neque tenentur fideles Rom. viii. 1 Joh. 1. 7. Ecclesiæ vero resipiscentiam declarare debent, ut scandalū tollatur, ipsiq: in communionem recipiantur. Atque hinc gliscente mysterio iniquitatis satisfactiones humanæ pro se & pro aliis exortæ sunt.

XII.

Specialis Ministrorum excommunicatio, quæ ἀφαίρεσις dicitur, necessario etiam eos munere Ecclesiastico movet: sic enim lupi arcendi sunt ab ovili Domini.

XIII.

Illegitima excommunicatio, quæ sine justâ ratione stringitur, neminem à statu gratiæ arcet Iohan. xvi. 2. Tales autem sunt excommunicationes Papales ad exuendos principes suis dominiis, & statuminandum Antichristianismum. non enim sententia, seu declaratio per se, sed ratione fundamenti, considerandæ venit.

Corollaria de Potestate Synodorum & Classium

1. *Ecclesiarum unio in Synodis & Classibus juris divini est, Actor. xv. 1. 34 Rom. xv. 26. 1. Cor. xi. 16. 2. Cor. viii. 1. 4: 19.*
2. *Hæc requiritur non quidem ad esse, sed ad bene esse Ecclesiarum.*
3. *Contrahitur autem mutuo consensu vicinarum Ecclesiarum.*
4. *Neque tamen ita constituitur Combinatio diœcesiana, Classicalis, aut Synodalis; ut particularis vel parochialis quæque Ecclesia non sit, nec potestatem Ecclesiasticam habeat citra illam.*
5. *Classis & Synodi est tractare negotia communia: quin & particularia alicujus Ecclesiæ, 1. in casu insufficientiæ 2. in casu administrationis revera illegitimæ, aut etiam quæ à quibusdam illegitima habetur.*
6. *Si alicubi ecclesia turbata sit per hæreses, scandala aut schismata, penes Classem vel Synodum est laboranti succurrere, & potestatem Ecclesiasticam in eâ exercere cum melioribus ejus partibus aut mem-*

bris. Si contingat totam deficere, id agendum ut nova instituatur eo modo, ut apud ignaros, aut hostes fidei, solet fieri.

7. Ad Ecclesiarum mutuam aedificationem singulare medium est visitatio Classicalis.

8. Episcopatus hierarchicus, potestati, quam Christus Ecclesiis concessit, & simplicitati, adversatur.

De Templis.

1. Peragendo cultui divino locus requiritur, & publico publicus.

2. Hujusmodi loca in N. T. nullam habent sanctitatem inhærentem vel adhærentem, ne quidem relativam; non magis quam libri, vasa, mensa, pulpita &c. quorum usus est in administratione sacrorum.

3. Neque tamen ferendum ob honestatem, ut idem locus cultui divino, & exercitiis, quæ cum pietatis & gravitatis dispendio conjuncta sint, pateat.

4. Superstitiosa est fabrica templorum in modum crucis cum choro & turre, additis crucibus, gallis &c. Christiana simplicitati sufficit talis, quæ plurimos capiat auditores.

5. Cum Pontificii sanctis templa exstruunt idololatriam sibi frequentem committunt.

6. Consecratio templorum, quâ ea spiritualem & divinam quandam virtutem adipisci, eandemque in hominibus inde cieri docet Thomas sum. part. 3. quæst. 38. art. 3. ad 3. Ethnicas superstitiones, & Judaïcas cæremonias jam mortuas & mortiferas redolet.

7. Neque tamen est quod demoliamur templa, quia idolis & superstitionibus fuerint polluta: modo monumenta impietatis, qua nullum alium usum habere possunt, tollantur.

Ex historiâ sacrâ V. & N. T.

D.

Statu Ecclesiæ ante Mosen.

THESIS I.

Statim post lapsum clementissimus Deus fœdus gratiæ iniit, cum

cum humano genere, cujus summa extat Genes. III. 15. semen istud mulieris est Christus Gal. III. 15. Hebr. II. 14. Rom. XVI. 20. 1 Johan. III. 8.

II.

Sic jam inde crediderunt fideles se per gratiam Dei in Christo remissionem peccatorum & vitam æternam consecuturos Act. XV. 11. atque hinc distinguebantur filii Dei à filiis hominum, Genes. VI. 2.

III.

Sacrificia Abelis, aliorumque istius temporis fidelium, placuerunt Deo in Christo Hebr. XI. 4. & IX. 22, 23. Eph. V. 2.

IV.

Ante diluvium Enocho (qui futurum judicium prædixit, Judæ vers. 14.) in cœlum sublato confirmata est promissio vitæ æternæ Genes. V. 24. cum Hebr. XI. 5.

V.

Diluvium ipsum, ut singulare Dei judicium fuit contra mundum impium, ita piis gratuitum fœdus eodem, ceu sacramento extraordinario confirmatum est: quod scil. Christi sanguine expiati, & spiritu regeniti ac sanctificati per omnia adversa servarentur, & accessum haberent ad gratiam & gloriam patris cælestis 1 Petr. III. 20. 21. Hebr. XI. 7.

VI.

Lex moralis planè eadem tunc fuit quæ nunc est. Quin & ceremoniales leges variæ fuerunt: de sacrificiis passim occurrit, de munditie ceremoniali Genes. VII. 2. mox à diluvio revelata etiam est promissio de vocandis gentibus Genes. IX 27. Melchizedekus rex & Sacerdos postea singularis typus Christi fuit Genes. XIV. 18. &c. cum Psal. CX. 4. & Hebr. VII. 1. &c.

VII.

Abrahamo injuncta est circumcisio, sigillum justitiæ fidei. Rom. IV. vers. 11. & gratiæ sanctificantis Deuteron. XXX. 6. Atque ita ejusdem usus & efficaciæ fuit cum baptismo

illi

Illi in N. T. substituto Col. II. 11. Fœminæ autem etsi sacramentum hoc non perciperent, censebantur tamen in maribus, ejusdemque gratiæ erant participes, Genes. xxxiv. 14.

VIII.

Atq; ab illo tempore aliquanto uberius, seu magis extensè quoad cultum institutum externum exhiberi cæpit gratia Dei: verum ita ut Ecclesia præcipuè consisteret in familiâ & posteris ejus Genes. xvii. 7. Promissum tamen benedictionem ad cæteras gentes quoque perventuram Genes. xxii. 18.

IX.

Abrahami vocatio ex Ur Chaldæorum designavit traductionem in patriam cœlestem, quam omnes fideles in terrâ sibi promissâ spectârunt. Hebr. xi. 8. 9. 10. Adoptio item declarata est per assignationem hæreditatis, factam filio ex matre liberâ nato Gal. IV. 26. 28. 31. Electio in Jacobo & Esavo Rom. ix. 10. 13.

X.

Interim Deus legem & Euangelium traditione propagavit, donec eandem doctrinam per Mosen, Israëlitarum ex Ægypto ducem, restauraret, augeret, scriptoque consignaret.

Corollaria.

De Nativitate Christi.

1. *Promissus Messias jam ante annos mille sexcentos & amplius in lucem editus est.*

2. *Optima methodus astruendi hoc contra Iudæos videtur, si primum probetur Messiam jampridem venisse, ex locis V. T. quæ tempus, locum, genealogiam, aliasque circumstantias, describunt: ac deinde demonstretur ista, & reliqua omnia, qua de Messiâ prædicta sunt, Domino nostro Iesu Christo competere; & quidem soli.*

3. *Christus natus est Bethlehemi, tempore præfinito, anno scil. Imperatoris Augusti* XLII. *& Herodis Ascalonitæ regis Iudæa* XXXVI. *(ut communior fert opinio) Cyrenio præside Syriæ. De anno ab orbe condito tam discrepantes Chronologorum veterum, & recentiorum, occurrunt sententiæ; ut non liqueat, quid definitè statuenda sit: videtur autem incidere ferè in annum quater millesimum.* Chri-

4. *Christus natus est ex virgine Mariâ quæ erat de tribu Juda, familia autem Davidis, jam tum desponsa Iosepho tribuli suo: quod satis patet ex genealogiâ, Matth. I. & Luc. III. coll. cum Actor. II. 30. Rom. I. 3. Hebr. VII. 14. at impregnata Spiritus sancti obumbratione.*

5. *Frivolum est quod de virginis utero in partu clauso commiscuntur Pontificii.*

DE

Sudore sanguineo Christi.

1. *Christus in horto Gethsemane verè grumos sanguineos sudavit Luc. XXII. 44.*

2. *Factum hoc præ gravitate angoris orti ex sensu, & apprehensione, oneris iræ divinæ: sic enim humanitas vehementissimè afflicta, conturbata, & affectibus doloris, timoris, amoris, & zeli variè agitata fuit.*

3. *Sudor iste miraculum naturæ rectè habetur: supernaturalis verò non nisi ratione finis, & causæ efficientis remotæ, dici potest: quemadmodum etiam fluxus aquæ & sanguinis ex latere Christi, jam in cruce mortui perfosso.*

4. *In Christum & sacram scripturam injuriis sunt, qui Christum tantum in corpore, aut facultate inferiori animæ, passum asserunt. Neque mirum eos, qui sic satisfactionem Servatoris nostri extenuant, ad propias satisfactiones, aliorum supererogationes, & similia salutis media frustra confugere.*

5. *Imo Christus etiam in facultate rationali pœnas infernales damni & sensus tulit: ut nos ab æternâ condemnatione liberaret, gloriaque cœlestis participes faceret.*

Ex Historiâ & Antiquitate Ecclesiasticâ.

De Semi-Pelagianis.

THESIS I.

Carnalis intellectus legi divinæ repugnans, & subdola ejus ratiocinia, eò se exerunt, ut nullus error sit tam absurdus, quin

patronum inveniat. Deum, aut naturam Deo coæternam, malorum omnium auctorem esse, voluerunt furiosi Manetis asseclæ Ab alterâ parte, tam bona, quam mala, viribus liberi arbitrii insolidum deferebant Pelagiani, negantes peccatum originale, & perfectam legis observationem, in hâc vitâ, volentibus possibilem asserentes. Catholici contra statuebant, decretum Dei, ejusque executricem providentiam, versari etiam circa mala cooperando in actu subtracto (qui semper bonus est); malitiam verò (cujus nulla natura est) permittendo:, & totum illud complexum in finem bonum, ac Deo glorioſum dirigendo. Omnes Adami posteros (solo Christo excepto) originali peccato esse infectos: propterea vires humanas, sine supernaturali & efficaci gratiâ Dei secundum electionem, non pertingere ad bona spiritualia & salutaria. Omnes denique seriò & pro se quotidiè debere precari: *Remitte nobis debita nostra.*

II.

Medios inter Manichæos & Catholicos Manichaismi incrustatores Prædestianos recenset Sigbertus, & post ipsum Gerson: quorum tamen hæresis odio à malevolis conficta videri potest. Inter Catholicos & Pelagianos celebres in historiâ Ecclesiasticâ sunt Semi-Pelagiani, sive Massilienses.

III.

Isti statuebant vires liberi arbitrii συνέργους gratiæ divinæ, ut hæc illius non dux esset, sed comes. Eum qui periit accepisse ut salvus esse posset; omnesque ad gratiam regenerationis universaliter vocari, sive per legem naturalem, sive per scriptam, sive per euangelium: nam Christi morte, quantum ad Deum pertineat, omnibus paratam vitam æternam; alios autem non obedire, quia nolint; fideles verò obedire & salvari, quia velint. In aliquibus saltem ante gratiam Dei præcedere desiderium aliquod fidei, studium, & invocationem. Parvulos ex hac vitâ decedentes, quia velle nondum possunt, tales perdi, talesque servari, quales futuros illos in annis majoribus, si ad activam servarentur ætatem, scientia divina præviderit. Deum ubique & semper ita dispen-

sasse

ſaſſe vocationem, prout prviderat homines redituros: eoſque eſſe prędeſtinatos quos præviderat credituros. *Electorum* numerum augeri poſſe & minui. Perſeverantiæ dono præſupponi liberum arbitrium.

IV.

Cauſam Dei contra ſuperbos iſtos errores optimè egerunt Auguſtinus & Proſper, eandemque nobiſcum doctrinam tradiderunt de prædeſtinatione, de morte Chriſti, de neceſſitate gratiæ ejuſque efficaciâ, & de perſeverantiâ: ita quidem ut conſentiret *Eccleſia* Catholica, & dogmata ipſorum approbaret variis Synodis; quales Carthaginenſes duæ, Milevitana, Arauſicana poſterior, aliæque.

V.

Semi-Pelagianiſmum defenderunt præcipuè Caſſianus, quem Proſper ſub nomine Collatoris refutat; & Fauſtus Regienſis. Hunc refutârunt Fulgentius, Cæſarius Arelatenſis Epiſcopus, & Petrus Diaconus Fauſti ſententiam damnat etiam Baronius Annal. tomo VI. anno Dom. 490. num. 11, 12, 33. & ſeqq. & ubique huic, ſententiæ contradictum, eſſe ab *Eccleſiâ* Catholicâ teſtatur.

VI.

Cyprianum, Ambroſium, Chryſoſtomum, & alios ante exortum Pelagianiſmum, fatemur ſecurius interdum locutos de libero arbitrio: ſic tamen ut reſpexerint vel homines jam regenitos, vel quid noſtri ſit officii; non quid virium citra gratiam Dei.

VII.

Jeſuitæ hodierni, aliique nonnulli Pontificii, & Remonſtrantes Quinquarticulani, ſeu primi & ſimplices (quos à Remonſtranto-Socinianis diſtinguimus) ſaltem Semi-Pelagiani ſunt; dum urgent liberum arbitrium ad bona ſpiritualia, electionem ex fide prævisâ, Chriſtum intentione ſuâ, & Patris, pro omnibus æqualiter eſſe mortuum; atque alia quæ inde dependent.

VIII.

Eoſdem errores minimè erravit Lutherus: oppoſuerunt ſe quoque